Nota. Qui in Apostolo et alias scripturas vult sapide intelligere, oportet ista omnia tropologice intelligere: Veritas, sapientia, virtus, salus, iustitia, scilicet qua nos facit fortes, salvos, iustos, sapientes etc. Sic opera dei, vie dei: Quae omnia Christus est literaliter: et fides eius moraliter sunt omnia.

Iudicium et iustitia in vet. et nov. script. rarissime anagogice ad literam de futuro accipiuntur, sed frequentissime ac vere de tropologico et morali et allegorico. Cuius ratio est quia vetus lex proprie solum primum adventum Christi respiciunt: in quo Christus in iudicio benigno et salutari regnat, quia abundans gratiae et benignitatis est. Unde Apostolus Ro. 3 iustitia dei testificata a lege et prophetis, iustitia autem dei per fidem Iesu Christi. Nova autem lex proprie de futuro iudicio et iustitia respicit, quia secundum adventum Christi respicit, quoniam erit in iudicio severitatis et vindictae aeternae. Ut in multis locis. Iohannis 5: potestatem dedit ei iudicium facere. Et 2 Timo.: Qui iudicaturus est vivos et mortuos etc. Et Ro. 2: In revelationem iusti iudicii dei.

Quod autem hic de benigno iudicio loquatur, patet quia dicit: iudicabit pauperes populi. Quia damnat illos ut salvet etc. Et iudicare populum tuum in iustitia: sed impios iudicabit in iniustitia eorum. Et bene dicit iudicare, quia Christus accepit iudicium a patre, non frustra: sed non sibi tantum, immo nobis, quia populum tuum iudicare incipit.